YD16

ADOLPHVS OCCO MEDICVS, Io. Schotto S. P. D.

Literas tuas humaniſſimas, ex Bibliopola noſtro accæpi, quibus me hortando rogas, et quod nimiũ eſt, ſupplicaſq;, ne operã rei Medicæ nauantibus deſim, ſed rei tam fæliciter a te inceptæ, meo exemplari opem feram, quo Autor ille uetuſtus (nam ſub Imp. Carolo ſcripſit) et admirandæ breuitatis caſtigator, in lucẽ diuulgetur. Addidiſti certe, ut dici ſolet, currenti calcaria. Nam quamprimum tabulas illas rerum non naturalium, ut Medici uocant, a te excuſas uidi, ſtatim mecum conſtitui, ut reſiduæ quoq; ederentur. In hac re Nouiomago, uiro tum bono, tum egregie docto, uſus ſum, qui hac de re ad te ſcripſit: nã placuit has tuis coniungere. Perſuaſi enim mihi, neminem reſiduam partem habere, me excæpto. Sed tu de duobus exemplaribus mentionem facis: quod ſane non parum admiror. Mitto itaq; cum illo tabellario Methodum, ſeu Curatiuam artem: tu, ut huius artis non ignarus es, ſingula nõ ſine uoluptate perleges. Scholia quæ marginibus annexa ſunt, uix apponerem, cum materia per ſe clara ſit. Cum uero in officina tua opus abſolutum fuerit, aliquot horum pro me, amicisue meis mitti cupio. Reliquum, quod nõ pauci facio, eſt, me tecum principia amicitiæ contraxiſſe, quam in breui aucturus ſum, Deo dante. Vale, & ſi quid inſulſe ſcripſi, ex Arabis inhæſit. nam primitus Leoniceno, Copo, Linacro, uiris ſane latiniſſimis, doctiſſimiſq; non incubui. Quare recte dicitur, quo ſemel imbuta ſeruabit odorẽ recens teſta diu. Id mihi quoq; contigit. Iterum uale. Raptim ex Auguſta Vindelicorum. XVII. Octobris. Anno ſalutis noſtrę.

M. D. XXXII.